FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Brief von Philipp Jakob Spener an Johann Wilhelm Petersen.

### Spener, Philipp Jakob

### Frankfurt am Main, 15.03.1675

**Nutzungsbedingungen**
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**Terms of use**
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-243111

Visual Library

22. Renovavit eandem cum a quadriennio circiter vel triennio hic transiens morbo cogeretur aliquot septimanarum moram facere. Max. Reverendorum DD. Siricii et Pomarii (ita enim dici reor, quem Pomeranium scripsisti) vocationi DEUS porro benedicat, ut amplissimos fructus Ecclesia ferant. Max. Rev. D. Varenio, cum rescribes, quaeso pia vota mea defer, et quam eum colam. Cum hisce tu quoque divinae gratiae commendatus vale et salve plurimum. Scribebam Francof. ad Moen. 8. Decembr. 1674.

F. Clariss. T. Praecell: ad preces et officia addictissimus
Philippus Jacobus Spenerus D.

A IESU passo F

Passionum ejus fructus aeternos!

Praeclarissime et Praecellens domine, Fautor et Amice honoratissime.

Pro more meo non nisi post aliquam moram respondeo. Sed caussae tibi non sunt ignotae, unde nec mihi multae excusationis necessitas. Pro piis, quae meae saluti impendis votis gratias ago maximas: ut in eo precum officio, quod invicem debemus posthac etiam pergas, unice contendens, et vicissim promittens, neque in mei, me tui fore immemorem. Quas vero mihi admetiris laudes quaeso posthac moderare, et scito, uti meae mihi mediocritatis probe sum conscius, imo eam quotidie magis addisco: ita nolle me,

quamquam ulterius de me sentire, quam in me est, quod est perparum. Quoties ergo posthac non ad me solummodo sed et de me aliis loqueris, non aliud mihi tribues, quam optare me, ut omnia rectius haberent, et huc, si possem, studia mea in meipso et aliis emendandis impendere paratum esse. Quam vero plerique alii longe absed, quo tendimus, absunt, tam longe me quoque abesse sentio. Proficiamus ergo universi, et in eo solo omnem laudem, si qua quaerenda est, quaerere meminerimus. Illustrissima Comitissa Waldeccio-Culenburgia ita de me sentit, ut solent, qui affectu aliquo benevolo occupati sunt: utinam doctrinae nostrae illi approbare possem veritatem, sed secus quam opinabaris absolutae gratiae dogma altiores in animo ejus radices egit, quam ut quisquam facile evellat. Quod tamen alii in Reformato coetu quamplurimi ignorant, et in eo articulo nostri sunt, uti saepius expertus sum. Quod de D Brummeri morte narrasti, horrendum fuit: sed et quae nuper de D. Petri Musaei excessu referebantur multum horroris habent. De quo scripsisti, Spectrum Marpurgense an adhuc ibi ambulat, et libros evolvit? Tum de Vagede illo Atheo, quid tandem factum est? Si quando vacabit, quaeso significa. Obtigere nuper mihi scripta duo, illis titulis: pastoralis epistola

24. Episcopi Tornacensis ad fideles dioecesis Tornacensis de cultu Beatiss. virginis Mariae et aliorum SS. occasione libelli, cujus titulus est, Monita salutaria B. v. Mariae ad cultores suos indiscretos. 2. Monita salutaria B. M. V. vindicata per notas salutares ad libellum intitulatum Cultus B. V. Mariae vindicatur per Hieron. Henneguier et similes scriptores cum appendice contra defens. B. V. Mariae Ludovici Bona impressum Moguntiae. Haec de argumento tractant, quod aliquamdiu excoluisti: Nisi eadem possideas ipse, lubens ego subministrabo, ubi intellexero tibi ita placere. Orator Danicus ex Dania nondum rediit, unde album Marianum tibi procurare, ut vellem non possum. Bilgero nostro quod perhibes testimonium, lubens intellexi. Quae ad me de ipso allata erant, a nemine invido profecta sunt, sed ab ipsiusmet avo et tutore, qui de sumtibus superfluis conquerebatur. Semper vero ego in ea sententia sum, non diligenter officium facere qui multos in extraordinaria (provocitare solent) sumtus erogat. Unde avi precibus hoc dedi, ut paraeneticas ad ipsum scriberem. Optime ei cupio et studia ejus crescentia me quoque delectabunt. Quod de commoditate exteras oras visendi, litteris adjecisti, quam vellem ut desideriis tuis satisfacere, vel hoc etiam polliceri possem.

Viro Clarissimo et Excellenti Domino Joanni Wilhelmo Petersen Philosophiae Magistro et Theologiae Candidato Dn. amico et fautori meo honorabilissimo

Giessam.

sed adeo raræ et infrequentes sunt ejusmodi occasiones, ut Fratri Germano Iuris Candidato plurium patronorum quos inter nobiles et generosos numero ope nullam adhuc conciliare valuerim; etiamsi non in vicinia tantum sed et Saxonia, Silesia et alibi quæsiti sint, quos moderaretur. Si quid tamen in me sit, Tui æque ac fratris mei rationem habiturus sum. Vale divinæ gratiæ commendatus, et perge amare ~~Francof. ad Moen. 15 Martii 1675~~

Francof. ad Moen. 15 Martii 1675.

Clariss. I. Vitt. Studiosissimum et ad piavota atque officia paratissimum Philippum Jacobum Spenerum ~~Dom~~ [illegible]

Ex vulneribus IESV Salutem perpetuam.

Vir præclarissime, Domine et amice honoratissime.

Ad Tuas præter morem meum respondeo maturius, ut quæ expectas a me scripta citius nanciscaris. Ea vero hic vides, et uti voles illis uteris, hac sola conditione, ut si allegabis ea, mei non fiat mentio. Misit mihi ea Seren. Landgr. Ernestus, cujus, nisi me fallit conjectura, impulsu quædam horum edita sunt. Nolet vero ille rem patribus esse notam, quod nostris talia communicet. De albo Mariano, cum redierit orator Danicus, dispiciam, quid obtinere possim. Interim laboribus tuis, ut illis